AD CARDINALITIAM

QVÆSTIO MEDICA.

Matutinis agitanda disputationibus in Scholis Medicorum Paris. die Iouis vltima Martij M. Iacobo Cousinot Doctore Medico, Moderatore.

Vtrum in ἀποστάσεσιν ad melius τὸ κατ' ἴξιν?

NATVRA, principium motus & quietis, æternûm αὐτοδίδακτος, vt sanitatis per dissimilia diligens conseruatrix, sic morborum per contraria solers medicatrix, omnium, quæ sunt opus, instrumentorum omnimodam supellectilem sibi comparauit, insignis ὑπηρέτης & artifex, congruentia in animalium corporibus faciens, alit non solius ventriculi (cui vnicum alimentum, chylus) sed cutis & ani beneficio, vbi humidi restaurationem necessitas postulat, propria attrahendo, eadem commutando, coquendo, retinendo, assimilando opem locat & operam, & opus absoluit. Superflua, sursum deorsum, intus foras, à centro ad circumferentiam, per vias liberas, non liberas, & inuias amandat: à quibus ne cum delirio quidem aberrat, recti pariter iudex & obliqui, adeo per se iam olim prouida ἀρμῶν genus omne comparauit, quibus in fastidiosa contenta vacuanda; materia domita; indomita; die critico, sed impari, à cœlis vires mutuante, non influente, è criticis maxime tali præsignificato, ἀθρόως καὶ λάβρως ad morbi profligationem inuehitur: morbi autem formæ, nulli: materiæ, nulli: imò neque formæ, neque materiæ simul.

DIVINVM illius, in illo organico, sed toto dissimilari struendo, ad tot, tamque differentium actionum varietatem edendam τὸ τέχνασμα illucescit, vt cum in illo, haud secus, ac in circulo, non sit principium nec finis, eadem fibrarum à centro ad circumferentiam rectitudo, dextri sinistrique ad centrum, & ab illo eorum par, aut nullum potius discrimen, in vtroque par viciniæ, numeri, magnitudinis, amplitudinis exortus, & ἀνταγωνισμοῦ positio, illa tamen in humore excernendo (qui licet perfectè coctus, non tamen semper securus) aut dolore sedando occupata, illud per ἀπόστασιν salutariter, bonisque ęgri rebus per vasa viciniora, breuiora, opportuniora, nec contra primum naturæ vsum destinata, fœliciter aggreditur & absoluit.

HVIVS per ἀπόστασιν (quæ meliûs noctu quam diu, vt omnis concoctio peragitur) ad omnium fere morborum θεραπείαν auxilium singulare & promptum. Oris, & narium ἄφθαι solutionem febris, in excessu caloris natiui consistentis prænuntiant, incerto, & mittentium, & excipientium ordine. In ephemeris plurium dierum, & synocho à non putrente sanguine, illa morbificum humorem ἀφίησι κατ' ἔκρουν διαπνοῇ, in quibus scilicet calor mitis, suauisque & halituosus ad tactum sensim sine sensu expirat, aut madore, sudoreue naturali, nec graueolente commodûm discutitur: sed ita vt irrito & frustraneo sapientis medicæ conatu, illarum quoque λύσιν καὶ ἀπαλλαγὴν porosa meatuum cutis reseratio, & artificiosa libertas à prudente artifice procurata, in excernenda fuliginosi excrementi sentina, neglectis τοῦ κατ' ἴξιν (vt in ipsa reuulsione) sanctionibus imitetur.

ΟΡμὴ naturęque victricis conatus passim à partibus principibus, morbificum humorem sine ista ἴξεως prærogatiua, in morbi tantùm cōsistentia amandat deponitque. Cor vt caloris nostri thesaurus, sic febris vnicum subiectum, in vtrasuis axillas noxiam materiam euomit, eructatque: periculosiûs tamen in sinistras. A iecore in lienem, salutaris ἀπόστασις non contra à liene in iecur, ijsdem tamen neutra, aut vtraque τοῦ κατ' ἴξιν terminis definita: illud idem in testes, inguina, & varices tam directos quam oppositos, fœlici successu plerumque expurgatur, vt ab eodem icterus tam criticus quam symptomaticus, neuter necessario funestus, contra quam idem per spontaneam aquarum in venis contentarum depositionem, facit hydropem salutarem.

NON alligatur magis τοῦ κατ' ἴξιν vinculis in suis ἀποστάσεσι Cerebrum, ad vitam, corde non minûs necessarium, natiua sua constitutione calidum humidū (vt spermaticę, sanguineis calidiores & humidiores) Vtile insanientibus κιρσοὺς apparere. Et sanguiflua quæ dicitur affectio, atræ bili facit medicinam, laborantis, imò mandantis partis rectitudinem nobis ignorantibus. In testes similiter materia tussifica, bonis tussientium rebus deponitur. In quibus naturæ κατ' ἔκρουν vacuationibus, an ad meliûs, an ad deteriûs futuræ sint, qualisque operantis euentus (si τὸ κατ' ἴξιν tantum spectes) merito ambigas. Hoc neque imitatorem in vacuationibus arte faciendis remorari oporteat, vt hinc vel inde sanguini vacuando fores aperiat. Vnde neque διάγνωσις, neque πρόγνωσις est semper obuia, an factæ, an futuræ sint tales ἀποστάσεις, an ad meliûs, quia eiusmodi; & quęcumque eiusmodi etiam consequenter ac meliûs, sed propterea certò, & determinatò ad meliûs, quia cætera cum ipso τὸ κατ' ἴξιν consentiunt, vt plerasque videre liceat, neglecta huius necessitate, nihilo tamen minus auspicatè & fœliciter contingere.

Non ergo in ἀποστάσεσιν ad melius τὸ κατ' ἴξιν.

Defendebat Claudius Carolus Parisinus. anno salutis 1605.